



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Replica Ioan. Eckii Adversvs Scripta secunda Buceri
apostatæ super actis Ratisponæ**

Eck, Johannes

Ingolstadii, 1543

VD16 E 416

Luderi error de peccato originali post baptismum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30106

tiam, peccatum manere in baptisato, quo ad formale, & quo
ad materiale. Ideo alibi scripsit, peccatum originale etiam
manere post baptismum: Immo alicubi improbat sophis-
tas, quia cogitauerunt peccatum originale post baptismū
non esse peccatum in primam tabulam. Sed pudet Luthes-
ranos agnatum etiam errorem reuocare, quia ex superbia
nolunt videri vici.

Aduerte iam Bucer errata Lutheri, quām ista congruāt
cum ipsis, quae hic scribis & Melanchthon in Apologia. Ex
pendite quām minime conueniant cum formula concor-
diae Vuormaciæ à vobis recepta, quam hic in gratiam lecto-
ris subscribere volui.

Fatemur vñanimi sententia, omnes ab Adam propaga-
tos secundum communem legem nasci cum peccato origi-
nali, & ita in ira dei. Est autem peccatum originale carens-
tia iustitiae originalis debitæ inesse cū concupiscentia. Con-
sentimus etiam in baptismo reatus peccati originalis remit-
ti cum omnibus peccatis, per meritū passionis Christi. Ma-
nere autem, non solum apostolicis scripturis, sed ipsa expe-
rientialia docti sentimus, concupiscentiam, vitium naturæ, in
firmitatem, morbum &c. de q̄ quidem morbo in renatis in-
ter nos conuenit, q̄ maneat materiale peccati originis, for-
mali per baptismum sublato. Materiale autē vocamus pec-
catum, qd sit ex peccato, quod ad peccatum inclinet, quod
repugnet legi dei, quemadmodum & Paulus appellat. Ad
eandē etiam rationem in scholis compedium dicitur: Ma-
nere in baptisato originis peccati materiale, formale vero,
qd reatus est, auferri. Concordia ista facta est in præsentia
reuerendissimi episcopi Attrebaten, & illustris domini à Gra-
nuella secretarij Cæsar, Gerardi, & Cancellarij Saxoniæ. Ex
his clarum est catholicos non fecisse iniuriam Luthero aut
Hosandro. Nolo refricare, quæ Bucer cum suis fratribus
Zwinglio & Oecolampadio sensit olim: Originale peccatum

Nova hæ-
refis Lu-
theri.

Concor-
dia Vuors-
maciæ.

Concu-
piscentia
cur pecca-
tum.

Hærefis
olim Buce-
ri.

I proflus

ECKIUS VVORMACIAE

prorsus non esse peccatum, sed defectum quendam naturæ, sicut esse claudum vel balbutientem: quos Melâchthon satis aperte indicauit Vuormaciæ, dicens in colloquio: Nō existimabamus eo tempore, cum exhiberetur confessio, futuram altercationem de hoc articulo cum his aduersariis: sed aliorum clamores retundendi erant, qui prorsus tollebant peccatum originis, Zuinglianos denotans. Sufficiat prostratum esse Lutherum, concupiscentiam non esse vere & propriæ peccatum, sicut aliud peccatum, quod est contra legem dei. De varia acceptione peccati diximus in Enchiridio, in Homilijs de sacramentis, in confutatione methodi libelli Hosandrici.

Nosti, nosti Bucere, cur Lutherani apud Marpurgū nō de nihilo vobis Zuinglianis coram illustrissimo Cattorum principe hunc præscriperunt articulum de peccato originali, quod prius contrarium scripseratis & docueratis. Et Pomeranus de eucharistia scripsit contra Bucerum. 1529. Hic testis est mihi deus, quām abhorream à dogmate impi Zuinglii, ut ab eo quo facit peccatum originale non damnable peccatum, sed defectum quendam. De reliquis articulis taceo: at illud reticere nequeo, qđ tu finito colloquio Marpurgi petiſſti à Luthero, ut vel iudicaret, vel testimoniū suum de eis daret, quæ vos vel docueratis, vel scripseratis nihil variare à conceptis articulis. Vtrunq; denegavit, sed organum illud dei, ut tu Lutherum appellas, tibi respondit, alia habentur in scriptis vestris.

Pro honore Eckij etiam hoc impertinens adiicit Bucer Injuriam Eckius Vuormaciæ D. Ambroſio faciebat, cum negaret eum, quæ ex cap. 7. ad Ro. induximus intelligere, ut dicta ab apostolo de ſcipo, Belle hoc, id eft, Bucerice. Ita dixi Vuormaciæ, Ad Ro. 7. vbi fuit assumptum Paulū deſe loqui, ſuper quo non contendo, licet Origenes, Ambroſius, Hylarius, Hieronymus, & si recte memini Paulinus, diuersum

Paulus lo-
quitur in
persona
alioꝝ. Ro
ma. 7